

missorum dominorum videlicet. beronis vpsalensis. redhari arosiensis. et thoriri skarensis. compromisimus in reuerendos patres Episcopos. Dominos B.[o: Bryniulphum] skarensis. K. lyncopensem. et israelem arosiensem, nec non in dominos b. [Benedictum] prepositum skarensis. et redharum canonicum arosiensem. tanquam in veros arbitros super tallijs. vel nouis inposicionibus per nos siue nostros ex mandato nostro, vpsalensi ecclesie. sicut dicitur. irrogatis. promittentes firmiter. stare et obtemperare, ipsorum ordinacioni. pronunciacioni. et mandato. sub pena centum marcharum puri argenti. Ad quam quidem penam parti aduerse arbitrium acceptanti. soluendam. sub ypotheca rerum nostrarum. nos efficaciter obligamus. si arbitrium. et ordinacionem predictorum dominorum noluerimus obseruare. In cuius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum stukholmis. anno domini. M^o. CCC^o. XVI^o. feria. III:cia. proxima ante palmas.

På frånsidan: Compromissum factum inter ducem Waldemarum et archiepiscopum Olaum.

Sigillet, jemte den ur brefvet klippta remsan, bortrifvet.

2053.

1316 d. 15 April.

Stegeborg.

Konung BIRGER befaller invånarne i 6 härader öster om skogen Aspvild i Östergötland, att hädaneftersom hittills erläggas den så kallade skattepenningen med 6 Gutniska penningar på person.

Afskrift i K. Witterh. Hist. o. Antiqv. Akad:ns Saml. *)

BIRGERUS Dei gracia Sveconum Gothorumque Rex. omnibus sex provinciis ostan Aspvild inhabitantibus. In Domino dilectionem et salutem. Quia revocatum fuerat in dubium coram nobis ad tempus de censu dicto Skattpenning penes vos, utrum videlicet sex vel quatuor denarios nomine census eiusdem teneamini exhibere. Nos, qui volumus, ut teneamini [o: teneamur] vestris cavere semper incommodis, ne videlicet aliquibus indebitis aggravemini, cum Nobili viro Domino Canuto Jonsson Legifero vestro et aliis discretis patribus super hoc investigavimus diligenter, et invenimus, quod ad censum annum sex denariorum exhibendum fueratis obnoxii ab antiquo. Quare volumus et vobis firmiter precipiendo mandamus, quatenus nomine census eiusdem, quem Skattpenning, ut prediximus, appel-

*) Afskriften, som äfven upptager några andra bref, synes vara från början af 1700:talet. En Svensk modern öfversättning af detta bref, skrifven med samma hand, har årtallet 1317.

latis, singuli vestrum sex denarios gothicos a modo singulis annis exhibere in perpetuum sine difficultate qualibet studeatis, omni super hoc dubitationis scrupulo remoto penitus et abiecto, nullatenus omissuri, prout gratiam nostram diligitis et favorem. Datum Stakeborg anno Domini millesimo trecentesimo sexto decimo. feria quinta in hebdomada pasche.

2054.

1316 d. 9 Maj.

Lund.

Ärkebiskop ESGER i Lund förordnar, att Lunds domkyrkas Kaniker, som äro frånvarande, skola äga ett tjenligt ombud vid domkyrkan och i kapitlet, att svara för dem, aflöna deras vikarier, deltaga i kostnader för påfliga stolens påbud och beskickningar m. fl. kyrkans åligganden.

Registr. Eccl. Lundens. perg. pag. 61.

Vniuersis presentes litteras inspecturis ESGERUS diuina permissione lundensis archiepiscopus suecie primas Salutem in domino sempiternam Nouerint vniuersi. quod cum vicarii canonicorum in choro lundensi seruiantes frequenter nobis conquesti sunt quod sallarum suum habere non possunt. et maxime quia absentes canonici procuratores non habent in ecclesia. a quibus id exigere possunt et habere. Multociens eciam subsidium pro negociis ecclesie in curia romana et alibi expediendis non soluitur. in magnum ecclesie detrimentum Habita super hoc deliberacione prouida. decreuimus in hiis sicut et in aliis defectibus libenter volumus quantum possumus adhibere remedium oportunum Cum igitur congruum et de iure cautum sit vt et is qui altari seruit. de altari viuere debeat. et stipendium laboris sui recipiat. Et is qui de altari uiuit per se vel per alium altari deseruiat. sanctorum patrum institucionibus inherentes. omnibus et singulis. nostre lundensis ecclesie canonicis. qui ex licencia et causa legitima sunt absentes. firmiter precipiendo mandamus. eosque per presentes peremptorie monemus. vt quilibet eorum. procuratorem. in ecclesia ipsa et in capitulo ydoneum. qui pro ipso respondeat et satisfaciat vicariis seu apostolice sedis mandatis et nunciis et in aliis negociis. ecclesie incumbenibus. Infra tempus a iure statutum habeat. Et quid per ipsum. nomine absentis geritur. ratum omnimode habeatur. Alioquin contra ipsos et quemlibet ipsorum. ad priuacionem beneficii sui. prout de iure fuerit. procedemus In cuius rei testimonium ac monicionis facte. sigillum nostrum presentibus est appensum Datum lundis anno domini M^o. CCC^o. sexto decimo. Idus maij septimo.

Öferskrift: Statutum Esgeri. quod canonici absentes. habeant procuratores presentes in Capitulo.

2055.